









LIBRE SINGVLARI
HENTONIAN.

D. N. FRIDERICO
WILHELMO,
CORONAE BOHEMICAE ELECTORATVS REGEN
SACRO ROMANICO IMPERII ARCHIELECTORI
ET SACRAE ROMANAE IMPERII
PRINCIPALI AUSTRIACAE

D. N. JOHANNI SEBASTIANO
PRINCIPALI AUSTRIACAE
ARCHIELECTORI
ET SACRAE ROMANAE IMPERII
PRINCIPALI AUSTRIACAE



2608



298.

1702 41a 6 1/2 47

DISSERTATIO IVRIDICA
De,

INTERROGATO- RIIS INEPTIS,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

CORONAE BORVSSICAE, ELECTORATVS BRAN-
DENBURGICI, ET CETERARVM PROVINCI-
ARVM, HEREDE &c. &c.

IN REGIA ACADEMIA FRIDERIGIANA,

PRAESIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO, D.

SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENSIS CONSI-
LIARIO AVLICO, ET PROF. PVBL. ORDIN.

*PATRONO SVO OMNI HONORIS CVLTV
DEVENERANDO,*

d. IX. Decembr. MDCCII.

IN AVDITORIO MAIORI,
publicæ eruditorum disquisitioni subiicit,

IOANNES PHILIPPVS *Schmidt*
Norimberg.

HALAE,

Typis IOANNIS GRVNERI, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN IURIDICA
DE
INTERROGATIO
RHS INERTIS

REGIORE MAGNIFICENTISSIMO
IN SENATU AUSTRIACO BOHEMICO
DN. FRIDERICUS
WILHELMUS

CORONAE REGIAE AUSTRIACAE
DEUSVIGILIAE THEOLOGICAE
ART. IURIS DOCTOR

DN. IOHANNES
LUDWIG
LUDWIG

(33)

IOHANNES
LUDWIG

Leipzig, Druck von C. Neumann, Neudamm, 1841





Q. D. B. V.

DISSERTATIO IURIDICA,

DE

INTERROGATORIIS INEPTIS.

§. I.



Vanta in iudiciis cura esse debeat. *Evitanda in*
 præcauendi periuria, facile vnus-*iudiciis sunt*
 quisque animaduertit. Quodsi ta-*periuria.*
 men praxin plerorumque iudicio-
 rum accuratiõri animi lance per-
 pendamus, haud difficulter com-
 munem negligentiam Iudicum hac
 in parte obseruabimus. Nullibi
 enim frequentiora sunt periuria, quam in iudiciis, cum
 tamen veritatis indagandæ causa iudicia sint consti-
 tuta. Vt adeo ratione non destituantur, qui iu-
 ramenta pro mediis plane insufficientibus ad eli-
 ciendam veritatem habent. Dn. Præses. *Dissert. de*

A 2

De la-

Delatione iuramenti in matrimonial. §. 5. Interim tamen quamdiu iuramentorum usus in iudiciis receptus est, illud ad minimum agendum, ut & a periuriis abstrahantur homines, & factum secundum omnes rei circumstantias eliciatur.

Hinc interrogatoria inuent.

Eorum diuisio.

Scopus dissertationis.

In omni testimonio con-

§. II. Hanc ob causam receptum in iudiciis est, ut non tantum testes super integro facto generatim examinentur, sed etiam de singulis circumstantiis speciatim interrogentur, quæ quæstiones vno nomine vocantur *INTERROGATORIA*: Quæ duplicis iterum generis sunt vel *generalia*, ad totam causam & personam ipsius testis directæ, vel *specialia*, ipsius facti singulares circumstantias concernentia. Hæc diuersa sunt pro diuersitate causæ, quæ in iudicium deducitur; Illa vero sunt communia & in omnibus fere causis eadem, atque eo præcipue tendunt, ut ex datis responsionibus constet, an fides haberi possit personæ testis, an vero suspectæ fidei habendus sit.

§. III. Cum autem communiter inter hæc interrogatoria generalia non pauca reperiantur, quæ omnino inutilia, dum ex iis non constat, an maior an minor fides testi habenda, sæpe etiam ita comparata sint, ut nec ad dicendam veritatem iure compelli possit testis, indeque non modo multis litibus inter partes, sed & quandoque periuriis testium, occasio suppeditetur, placuit, quæ huius farinae sunt interrogatoria hic sistere, atque ad examen reuocare, ineptitudinem eorundem, licet in omnibus iudiciis receptorum, ostensurus.

§. IV. Sed ut quædam generaliora fundamenta præmittamus, quæ in specialibus postea decisionem
sup-

suppeditent, ante omnia concedimus, multum inter-^{sideranda}
 esse, confiderare personam illius, qui testimonium ^{persona te-}
 perhibet. Maiorem veritas ad sensum consequitur, si ^{stis.}
 ab eo proferatur cui fidem habere nemo dubitat. Ma-
 xime in illis rebus, quæ experientiam testis sensum-
 que proprium desiderant. Videmus in diuinis quo-^{Illustratur}
 que rebus id obtinere, vbi nemo negabit, plus effici, ^{exemplo a te-}
 si doctrinæ & veritatis testimonio verbali integritas ^{stimonio di-}
 vitæ etiam accedat. Quidquid enim impius dixerit ^{uino desumpto,}
 de ineffabili amore Dei, de efficacia verbi & spiritus
 Christi, de desiderio & prægusto vitæ æternæ; impe-
 riti sane fidem ipsi non, vel difficulter, habebunt, cum
 tantæ hæc virtutis esse deberent, vt ipsum quoque,
 Doctorem ab amore mundi ad verum Dei amorem
 perduxissent. Vnde Lactantius de Vera sapientia l. 4.
 c. 23. *Quicumque præcepta dat hominibus ac vitam mores-
 que fingit aliorum; quero debeatne ipse facere que præci-
 pit, an non debeat? si non fecerit, soluta præcepta sunt. Si
 enim bona sunt quæ præcipiuntur, si vitam hominum in opti-
 mo statu collocant, non se debet ipse præceptor a numero cœtu-
 que hominum segregare, inter quos agit, & ipsi eodem modo
 viuendum est, quo docet esse viuendum, NE SI ALITER
 VIXERIT IPSE PRÆCEPTIS SVIS FIDEM DE-
 TRAHAT, leuioremque doctrinam suam faciat, sine ipse
 resoluat, quod verbis nitatur adstringere --- --- Homi-
 nes enim malunt exempla quam verba, quia loqui facile est,
 præstare difficile. Vtinam quidem tam multi bene facerent,
 quam multi loquuntur bene. Sed qui præcipiunt nec faciunt,
 ABEST AB IIS FIDES. Quæ cum ita sint in diui-
 nis rebus, vbi tamen certa est, & ex verbo Dei per-
 spicua veritas, multo magis idem obtinebit in rebus*

humanis, vbi, circa facta dubia & plerisque incognita, vnice fidendum iis, qui de his factis testimonium perhibent.

*Quo funda-
mento nita-
tur fides per-
sone testis?*

§. V. Verum ne hic in incerto versemur, accuratius indagandum est, an reperiri possit solidum aliquod fundamentum, ex quo certo, aut saltem valde probabiliter, constare possit, fidem esse habendam testi. Vbi nunc non examinabimus varias illas suspicionis causas, quæ in iure recensentur, sed tantum generale fundamentum indicabimus, vnde postmodum causæ speciales sine magno negotio diiudicari possunt.

*Iuramentum
non operatur
sufficientem
presumptio-
nem verita-
tis.*

§. VI. Communiter quidem præsumtio veritatis desumitur ex præstito iuramento testis. Sed hoc fundamentum lubricum maxime est. Quodsi enim propter iuramentum præstitum fides habenda est testi, omnibus testibus indistincte credendum esset. Cum vero tot periuria committantur in iudiciis, idque satis constet, atque ex actis facillime probari possit, exinde sane sua sponte consequitur, iuramentum non efficere, vt maior fides testi adhibeatur. Equidem sunt multi ex fece hominum, qui falsa persuasionem ducuntur, veritatem non esse dicendam, nisi iurato fuerint examinati: Ergo hi, si iuramentum præstiterint super testimonio, nunc forte maiorem fidem merebuntur? Sed respondeo, si constaret, quinam in specie in ista erronea sententia hærent, & certum esset, eos, si sub iuramento constringerentur, veritatem indubie dicturos esse, concedi illud posset: ast cum hoc incertum sit, certissimum autem, multos homines falsum testimonium etiam iurato dicere, non obstante iuramento, semper in dubio hærebimus, an veritatem

tem dixerit an secus. Vnde per se fluit, iuramentum non sufficere ad inducendam sufficientem præsumtionem veritatis, quia dantur, qui sine iuramento veritatem dicunt, & dantur etiam, qui eam reticent cum iuramento.

§. VII. Quamobrem ita nobis videtur, ex nullo alio fundamento de fide testis constare posse, quam ex probitate & integritate vitæ ipsius testis. Inde enim valde probabilis oritur præsumtio quod veritatem celaturus non sit, qui eam per omnem vitam exprimit. Contra vero, qui improbæ vitæ, corruptisque moribus deditus est, atque Deum quotidie & singulis quasi momentis offendere non timeret, neque verbitur mendacium dicere in iudicio, cum vt plurimum mendacia inter peccata minora ab hominibus referri soleant. Hos a falso testimonio nihil aliud absterret, quam pœna externa; hinc vbi falsitatis non facile conuinci possunt, vt in occultis factis, nec sibi religioni valde ducent testimonium falsum dicere. Illi contra impulsu timore Dei & amore proximi omni casu abhorrebunt a falso testimonio, tanquam quo ipso iram diuinam in se concitari, conscientiamque suam grauissime lædi, sciunt.

§. VIII. Neque hoc ipsum legibus incognitum est, quin potius ante omnia dicitur in teste eo respiciendum, an honeste & inculpata vitæ, an vero notatus quis & reprehensibilis, vt loquitur Callistratus L. 3. pr. ff. de Testib. Quo & respicit Iustinianus, qui Nou. 90. cap. 1. talem esse testem debere asserit, vt si dubium occurrat, facile demonstrari testium vitæ, quia inculpabilis atque moderata est. Hinc, si testis antea bonus fuerit & integer vitæ,

*Fides testis
dependet ex
probitate vi-
te.*

*Quod & in
legibus ciui-
libus funda-
tum.*

*possit
facile demonstrari
testium vitæ*

vitæ, tum & affirmationi eius credendum, vt patet ex argumento *Legis 5. §. 6. ff. de re milit.* Vt adeo ante omnia ad vitam ipsius testis respiciendum sit, si iudicari debeat, an fides ipsi tuto haberi possit. Vnde communi Dd. calculo reiicitur testimonium auari & lucri cupidi Reuberus *de test. P. 2. n. 28.* adulteri, Ayrrer. *in Proc. P. 1. c. 7. obs. 5.* qui bina sponsalia contraxerunt Cothmann *Vol. 1. Conf. 27. n. 34.* Omnes qui criminis publici vel priuati rei sunt *L. 7. ff. de publ. iud.* Mascard. *de Probat. Concl. 27.* qui incarcerati sunt propter delicta Grammat. *Dec. Neapol. 34. n. 19.* apostata Ayrrer. *d. tr. P. 2. c. 6. obs. 2.* lufores, qui lucri causa ludunt Rauchar. *p. 2. qu. 25. n. 44.* Grammat. *Dec. Neapol. 40. n. 7.* vsurarii Vmmius *ad Proc. Diss. 16. n. 11.* Et in genere omnes qui honestam vitam non degunt, etiamsi in numero sint plures. Grammat. *Decif. Neapol. 11. n. 3.* Caluol. *Prax. iudic. §. 20. concl. 8. n. 1.* Notandum itaque quando in legibus, ob quasdam alias qualitates, testes pro fide dignis habentur, hoc non absolute accipiendum esse, vti quidem communiter fieri solet, sed cum perpetua ista conditione, modo ex prauo viuendi genere testis, alias fide dignus, se non suspectum fecerit. Hæc enim vitæ ratio cum ex natura negotii consideranda in teste sit, & leges semel id generaliter exegerint, semper spectanda in omni testimonio, etiamsi in legibus non vbiuis addatur: cum ea tacite ex generali ratione subintelligatur.

Vnde probitas cognoscenda.

§. IX. Hic autem non prolixi erimus in eo vt ostendamus, vnde ista probitas vitæ iudicari accurate possit, cum id longum futurum esset, nec ratio temporis permitteret. In summa tantum notamus, honesta-

nestatem externam, a probitate vitæ, veraque pietate, distinguendam esse. Possunt homines honeste vivere, & tamen impii esse, ceu ex regulis Christianismi satis abundeque constat. Equidem in foro externo non nisi ex actibus externis potest sumi iudicium, sed cauendum hic, ne præsumtionem pietatis pro ipsa pietate accipiamus. Ita præsumitur pius, qui ejusmodi actus exercet, qui requiruntur a Christiano vero; ast cum illud etiam hypocrita facere possit, non certo dici potest, istum hominem esse piûm, sed tantum præsumi piûm. Magis ergo in foro externo remotiue quam positiue agi potest, si scilicet per contraria eatur atque per consequentiam ostendatur hominem istum piûm non esse, & sic fidem non mereri. Ita si ostendere possim, testem litibus perpetuis & rixis indulgere; processus iniustos instituire, veluti processus iniuriarum sunt; (vti proluxe ostendit Dn. Böhmer *Diss. de Iniustitia actionis iniuriarum* Conf. *Et nes Christlichen ICri Bedencken von Iniurien Processen.*) otio & voluptatibus huius seculi deditum; perpetuum malorum hominum comitem esse, &c. eo ipso probatur eum non pietate ac probitate vitæ esse conspicuum.

§. X. Quodsi vero contra pateat, testem ab his omnibus, quæ pietati veræ sunt aduersa, esse alienum, morumque probitarem verumque diuini Numinis sensum, variis euentissimis documentis ostendisse, tum demum magnam pro se habebit præsumtionem fidei, & hæc eo magis hoc casu augebitur, si insuper accesserit iuramentum: quod nihil operabitur, si peruersum vitæ genus in teste conspici & probari possit.

Si probitati vitæ accedat iuramentum, augetur præsumtio fidei.

B

Hinc

Hinc recte Chrysoftomus *homil. 7. ad popul. Antiochen.* *Hominem, inquit, fide dignum facit, non iuramentum, sed vita testimonium & conuersionis integritas.* Quo etiam pertinet illa regula, qua feudalis Iuris interpretes subinde vtuntur: *Fides viri non dependet a fide iuramenti, sed fides iuramenti dependet a fide viri.*

Vnde constare possit an interrogatorium sit ineptum.

§. XI. Ex his vero id facile colligitur, vti verum fundamentum, quo fides testis nititur, consistit in probitate & integritate vitæ, ita omnia alia fundamenta, quæ in externis qualitatibus testis constituuntur, falsa & lubrica esse; cum testis possit esse fide dignus, etiamsi quoad istas condiciones vulgo pro suspecto habeatur, & contra possit esse suspectus, etiamsi ratione istarum qualitarum, quæ vulgo desiderantur, pro fide digno habeatur. Exempla specialia adducuntur in sequentibus. Hic tantum generalia fundamenta suppeditamus, ex quibus de specialibus interrogatoriis an apta an inepta sit, iudicium ferri sanum potest.

§. XII. Sufficiens hanc in rem duo axiomata, quorum *primum* est: *QVODCVNQVE INTERROGATORIUM SPER IIS CIRCVMSTANTIIS CONCEPTVM, QVAE CVM PROBITATE ET INTEGRITATE VITAE BENE CONSISTERE POSSVNT, ET VBI NIHIL DECEDIT VERITATI, QVOCVNQVE MODO RESPONDEAT TESTIS, ILLVD EST INEPTVM.* Non puto longiori explicatione hoc indigere, primum enim membrum huius regulæ ex antedictis fluit. Nam si constet testem vere Christianum esse, atque timore & amore vero in Deum ferri, conscientiaque suæ rationem habere, iam vtiqve fide dignissimus est.

Posito

Posito nunc occurrere quasdam circumstantias, quæ alios homines impios & conscientiæ rationem non habentes, mouere solent, ad falsum testimonium dicendum, istæ tamen non mouebunt hunc testem, vt mendacium dicat, Deumque & homines fallat, cum certo sciat certius, grauissimam & ineuitabilem vindictam diuinam necessario sequuturam, ad quam contrahendam nullo prætextu adduci poterit. Inde hoc casu vbi de probitate testis constat, ineptum est super iis circumstantiis interrogatorium. Sed & ineptum est illo casu, si constet, testem esse impium: nunquam enim de eius fide certus esse potest Iudex, neque certitudine morali, etiamsi nullæ circumstantiæ tales, quæ ipsum extrinsecus grauare possent, reperirentur. Alterum membrum axiomatis pariter perspicuum est. Vnusquisque enim, qui sanæ mentis est, agnoscet, frustra & ita inepte interrogari testem de iis circumstantiis, vbi perinde est quocumque modo respondeat. Nam quamuis alias superflua non noceant, hic tamen nocent, cum superflua interrogatoria nouam materiam litium suppeditent, quæ tamen potius omni modo amputanda: Accedit quod nihil in iudiciis frustra fieri debeat, maxime vbi de iuramentis præstandis quæstio est. *Secundum axioma est: QVODCVN- Axioma II.*
QVE INTERROGATORIUM CONTRA LEGES PROHIBENTES [CONCEPTVM, ILLVD INEPTVM EST. Id quod probare supersedeo, cum in confesso sit apud omnes, nec in hac dissertatione de his casibus ex professo agere constituerim.

§. XIII. His generaliter præmissis, nunc pro- I. Interrogandiendum ad exempla specialia, vbi primo vnus- corium ine- quis-prum, si super

diuitiis examinetur.

Rationes huius interrogatorii.

Reiicitur interrogatorium, quia paupertas & diuitia per se non faciunt suspicionem.

quisque obseruabit, vix vnquam testes examinari in iudiciis solere, vt non præmittatur interrogatorium: Was sein Vermögen und wie reich Zeuge sey? Quod non modo communi iudiciorum consuetudine receptum, sed & in plerisque locis, per ordinationes processus, adprobatum est. Vbi si euoluamus interpretes, & in rationes inquiramus, cur hoc necessarium credant, communiter hanc reddunt, quia extrema paupertate laborantes suspecti sunt. *Christin. Vol. 3. Dec. 27. n. 9. Seraphin de Seraphinis de Priuil. iuram. priuil. 33. n. 47.* Cuius fundamentum est in eo positum, quod pauperes facilius corrumpi possint quam diuites, quod & probari videtur ex *L. 3. pr. ff. de Testib.* vbi Callistratus vult, testem examinandum esse, *an locuples vel egens sit, vel lucri causa quid facile admittat.* Ex quo concludunt, pauperem testem esse de corruptione, ac ita periurio, suspectum, quod secus in diuite: Huic enim maiorem adhibendam fidem, quam pauperi, afferunt. *Farinac. de Testib. qu. 65. n. 117. Rittershus. ad Nouell. Part. 9. c. 22. n. 7.*

§. XIV. Verum si hanc Doctorum communem sententiam ad censuram reuoces, illico patebit, interrogatorium hoc plane nihil conferre ad faciendum, testem suspectum. Vnusquisque enim qui sana præditus ratione est, hoc nobis largietur: paupertatem in se non esse vitium, nec diuitias virtutem: malos non semper pauperes, nec bonos diuites esse: imo plures ex pauperibus probos esse, quam ex diuitibus: avaritiam vitium esse non tantum pauperum, sed sæpissime etiam diuitum, nam

Quo plus sunt pota plus sitiuntur aqua.

Hæc

Hæc si concesseris, quaeso, quid operabitur illud interrogatorium? Fac testem respondisse: *Er seye arm / habe nichts / müsse sich aus der Hand Gottes ernehren.* Quid iam faciet iudex? An testem hunc dicet suspectum? Si affirmas, quaero, quodnam suspicionis esse fundamentum debet? Certe non aliud, quam vitium animi, quia is demum fide dignus, qui honestæ & inculpatae vitæ est, ut docet Callistratus *d. L. 3. pr. ff. de testib.* Sed iam ante dictum, vitium animi non coherere paupertati, & honestæ ac inculpatae vitæ is quoque esse potest, qui omnibus bonis propriis destituitur. Fac contra, testem respondisse: *Er habe sein reichlich auskommen / und wolte sich nicht mit etliche tausenden lassen austausfen.* An ergo hic ab omni suspicionis notaliber est? Quid si ceteroquin pessime viuat, si auarus, si turpis & culpatae vitæ sit? Commune prouerbium est: *reich seyn macht nicht ehrlich.* Cui alterum correspondet, quod paupertas neminem faciat suspectum sed mores. *S. fin. Inst. de Suspect. tutor.* Vides ergo paupertatem & diuitias per se nihil conferre ad suspicionem.

§. XV. Verum ut satisfaciamus argumentis *Respondetur* pro hoc interrogatorio adferri solitis, primo dicimus, *ad rationes* etiam si concederetur, quod pauperes facilius corrumpi *conterarias.* possint quam diuites, iudex tamen ignorat, an hic pauper sit corruptus. Neque a posse ad esse valet argumentum in dubio casu, si v. c. non constet an hic pauper piam probamque vitam agat, quod tunc præsumendum sit eum pecunia corruptum esse; nam in dubio capienda est interpretatio benignior. Sed nego etiam illud suppositum: pauperes enim aliquando

corrumpi possunt, aut non quia pauperes, sed quatenus sunt avari. Verum etiam diuites, & plerique quidem, seu experientia docet, avari sunt, hinc eadem facilitate corrumpi possunt. Instas, respiciendum insuper ad vitam & mores testis esse: respondeo, ipsa ergo paupertas non debet grauare testem, sed si ex vita & moribus constat, testem eum suspectum esse, reiiciendum eius testimonium, siue pauper siue diues fuerit.

*Respondeatur
ad L. 3. ff. de
testib.*

§. XVI. Superest, ut ad oppositam *L. 3. pr. ff. de testib.* respondeatur, hæc vero nobis valde contrariari videtur, dum ibi expresse dicitur, respiciendum esse an testis locuples vel egens sit? At enim vero non est mens Icti, absolute ad diuitias & paupertatem respiciendum esse, nam eadem *L. 3. §. 1. & 2.* exhibet duo Hadriani rescripta, quibus iudicis arbitrio relinquitur, quantam fidem mereatur testis, cum hoc nullo certo modo satis definiri possit, ut adeo iudex semper ad conditionem personæ testis an fidem mereatur, non ad solam qualitatem externam respicere debeat: sicut & ab initio adiecit, videndum esse an honestæ & inculpatæ vitæ sit testis. Ita in *Nou. 90. cap. 1.* primo dicitur obseruandum, an bonæ opinionis sit testis, quæ bona opinio in vita testis fundatur: sed & diuitias interdum testibus fidem derogare, ibidem asseritur, ceu & obseruat Dion. Gothofredus *in not. lit. 1.* & in fine additur: in dubio decisionem capiendam ex vita testis. Vnde & tali paupertate pressi, qui nequidem in iudicio comparere possunt, admittuntur ad testimonium iure Canonico, *Cap. 8. X. de Testib.*

§. XVII.

§. XVII. Alterum exemplum ex interrogato-
riis plane superfluis & ineptis est, quod dirigitur ad
externam in Republica conditionem seu dignitatem
Bes Standes und Herkommens Zeuge seyn? Quod com-
muniter illi, de quo præcedente §. dictum, immediate
annectere solent, quia tum & pauperi fidem habenda
dicunt, cum in honore & dignitate ac officio a-
liquo constitutus. Nic. Caluol. in *prax. iudic.* §. 20. *concl.*
9. n. 3. Jacob Ayrer. in *Process. Histor.* p. 1. c. 7. *obs.* 2. n. 21.
seqq. Quod si ergo euoluamus Dd. & in fundamen-
tum inquiramus, ab omnibus eadem adfertur ratio,
quia in dignitate constitutis maior fides adhibeatur,
quam ignobilibus. Rurg. Ruland. de *Commisfar.* p. 1. l. 5.
c. 12. n. 4. Menoch. de *A. l. Q. Cas.* 526. n. 21. Hinc in casu,
si testes inter se discrepent, volunt, vt Iudex magis
credat honoratis & dignioribus, quam minus dignis,
masculis quam feminis, peritis & Doctoribus quam
imperitis & plebeiis. Carpzou. p. 1. *const.* 16. *def.* 43. n. 4.

§. XVIII. Sed hæc eiusmodi sunt, vt accuratio-
rem centuram omnino mereantur. Equidem ratio-
ni status Romanorum hæc egregie conueniebant, vt
ita extollerentur Patricii, & plebs supprimeretur; ad
veram autem normam si examineretur hæc doctrina,
statim adparebit eam falsam esse. Quis enim audeat
asserere, apud digniores tantum inueniri veritatem,
qui sequioris autem sortis sunt, de mendacio esse su-
spectos? Quot sunt ex dignioribus, qui periuri sunt,
qui iuramenti ab initio officii præstiti nulla ratione
memores, illi porius læpissime contraueniunt? Vicif-
sim vero ignobiliores, vt dicuntur, quis suspectæ fidei
asserat, ex ea causâ, quod non sint dignitate conspi-
cui?

II. Interrogato-
rium in-
eptum, quan-
do testis super
dignitate ex-
aminatur.

Dignitas ni-
hil confert ad
veritatem
testimonii.

cui? Sane pravi adfectus non minus efficere possunt in nobili quam ignobili.

*Respondetur
ad rationes
obstantes.*

§. XIX. Nec obstat, præsumi tamen illos, qui in dignitate constituti, conscientia suæ rationem habituros; hæc enim præsumtio forte alicuius momenti esset, si ad dignitatem & officia non admitterentur, nisi qui probatæ vitæ essent, sed cum hoc non fiat, corrui per se ista præsumtio. Contra autem iniquissimum esset, non idem quoque præsumere de ciuibus inferioris ordinis. Præsumtio iuris quæ est delicti exclusiua, generalis est, nec ad solos illustres restringenda, sed eandem plebeii quoque pro se allegare possunt. Quod si ergo horum testimonium vt suspectum reiiciendum, ratio non ex natiuitate ignobili, sed ex vita male acta petenda; qualem vitam si degant, qui digniores dicuntur, horum testimonia non maiorem fidem merentur. vid. B. Brunn. *ad L. 2. §. 1. ff. de testib.* Frustra ergo ratione dignitatis & conditionis ciuilis examinantur testes, cum ex solo hoc respectu pro validitate aut inualiditate testimonii nullum sufficiens argumentum, imo nec efficax quidem præsumtio, peti possit.

*Ad textus iuris
ciuilis.*

§. XX. Sunt tamen textus quidam ex iure ciuili, qui in contrarium adferri solent; quibus satis faciendum. Vbi ante omnia in genere obseruandum est, etiamsi de iure ciuili res esset manifesta, non tamen hic nos stringeret decisio legum, cum natura ipsa & ratio reclamet, qua in parte non posset contra naturam quid statui legibus ciuilibus quæ potius ex sana ratione sunt explicandæ: sed supra ostensum, esse contra sanam rationem quod in dignitate constitutis

tutis maior fides sit habenda, quam reliquis vilioribus. Sed nec leges ciuiles vnquam voluerunt eos qui dignitate conspicui non sunt, pro suspectis habendos esse, quin potius *in Nou. 90. cap. 1.* expresse dicitur, derogari quandoque fidei propter dignitatem. Hinc non obstat præfatio *d. Nou. 90.* vbi dicitur prohibitum esse *vilissimos* ad testimonium admittere: cum enim *in cap. 1. d. Nou.* statim subiiciatur ante omnia ad vitam testis respiciendum esse, eo ipso patet, per *vilissimos* ibi non intelligi eos qui dignitate carent, sed qui improba vitæ malisque moribus dediti. Nec *L. 3. ff. de Testib.* aduersatur nostræ sententiæ, quamuis enim ibi dicatur explorandam esse conditionem testis, *utrum decurio an plebeius sit*, immediate tamen per particulam coniunctiuam additur, *Et an honeste Et inculpate vitæ, an vero notatus quis Et reprehensibilis.* Vt adeo vtrumque simul considerandum sit, atque ita testis si culpata vitæ & reprehensibilis sit, fidem non mereatur, etiam si Decurio & in Dignitate constitutus fuerit. Ex quibus textibus ad alios, qui adhuc opponi solent, respondendum. Et *in L. 9. pr. C. de Testib.* per honestiores intelligendi, qui honestate vitæ morumque præ aliis sunt conspicui, non qui sola dignitate eminent.

§. XXI. Verum hic forte vrgeri posset, hoc tum *An in dubio* obtinere, si manifestum fuerit testem in dignitate *dignioribus* constitutum malo viuendi genere se suspectum reddidisse; in dubio ad minimum casu præferendum esse *maior fides* digniorem, propter *Auth. si testis C. de Testib.* vti communiter sentiunt Doctores, vt adeo hoc casu interrogatorium non videatur ineptum. Sed nos in dubio po-

LXXX

C

tius

tius vtrumque esse admittendum existimamus, nulla enim causa est, cur in dubio præcise dignior præferendus, cum, vt supra dictum, dignitas nihil conferat ad fidem. Nec ex *d. Auth.* contrarium probari potest, vt mirum sit eam a Doctoribus pro hac sententia allegari. Plane non agit de casu dubio, sed de seruo qui se liberum mentitur est, & de inimico. Dignitatis autem nulla ibi fit mentio. Vnde & falsum est masculo maiorem fidem habendam quam feminæ, & Doctoribus magis quam plebeiis, vt inepte Carpzouius supra citatus adseruit: Fides enim non dependet a sexu & eruditione, sed veritate facti, de qua feminis & plebeiis æque constare potest, quam masculis & eruditis.

III. Interrogatorium ratione consanguinitatis & adfinitatis.

§. XXII. Neque hic omittendum est Interrogatorium, quod ad explorandam propinguitatem sanguinis proponi solet: *Ob Zeuge Producenten mit Bluts Freundschaft oder Schwägerschaft verwandt seye/ und wie nahe?* Frequentissimum hoc pariter est, nec facile omitti solet, sed a nobis inter superflua & inepta nihilominus refertur, vtut communiter aliud sentiant Doctores. Quod si vero ad rationem respiciamus, cur hoc interrogatorium adhibeatur, omnes quasi hanc vnam reddunt, quia ex consanguinitate & adfinitate testis, cum eo pro quo testimonium exigitur, non levis nascatur suspicio perfidiæ. Vid. Rutg. Ruland. *de Commissar. P. 1. l. 5. c. 12. n. 17. & seqq.* Iacob. Ayrrer *in Proc. Histor. P. 2. c. 8. obs. 1.* Ex quo communi errore hoc etiam in multis ordinationibus processuum specialibus approbatum est.

§. XXIII.

§. XXIII. Nobis autem videtur utique contra *Est contra*
 rationem esse hoc interrogatorium, atque superflu- *rationem &*
 um & ineptum, cum ad veritatem testimonii nihil *ineptum.*
 conferat, an affirmatiue an negatiue responderit te-
 stis: idque ex fundamentis supra positis. Aut enim
 conscientia suæ rationem habet testis aut non habet:
priori calu veritatem sincere dicet, etiamsi sit consan-
 guineus, sed *posteriori* non verebitur mendacium di-
 cere, etiamsi extraneus fuerit. Totum ergo nego-
 cium fundatur in vita & moribus ipsius testis: hic si
 nihil desiderari possit, fide dignus erit testis, & iniuria
 ipsi fieret, si ex hoc solo suspectus diceretur, quia con-
 sanguinitate vel adfinitate iunctus producenti est.
 Iudex ergo per hoc interrogatorium non magis cer-
 tior redditur, an fides testi habenda, quam antea fuit.
 Si dixeris, mali tamen homines facilius pro cognato
 deponunt, quam pro extraneo; facile respondeo, si
 mali sunt, & hoc constat, fidem per se non merentur,
 non quia consanguinei sunt. Sed ita in dubio forte
 vtile erit hoc interrogatorium, si non constet an bo-
 nus an malus sit testis: verum nec hoc putamus, nam
 dubium hoc tollet iuramentum ad quod præstandum
 adstringitur, quod contrariam parit præsumtionem,
 testem ob solum sanguinis vel affinitatis vinculum
 non posthabiturum propriam salutem, quæ præsum-
 tio pro teste fortior sane est, quam illa, quæ contra
 testem ex sola coniunctione desumitur.

§. XXIV. Vti autem in ratione, ita & in legi- *Legibus, con-*
 bus fundamentum nullum habet hoc interrogato- *sanguineorū*
 rium, nullibi enim dicitur consanguineos & adfines a *& adfinium*
 testimonio repellendos, & pro suspectis testibus ha- *testimonium,*
 ben- *non est probi-*
 bitum.

bendos esse, atque adeo eorum testimonium etiam in foro externo sine suspitione est. Equidem inter parentes & liberos prohibetur testimonium. *L. 9. ff. & L. 6. C. de testib.* & in genere inter omnes ascendentes *L. 2. C. de in ius vocando* sed hoc propter identitatem personarum *Farinac. de Testib. qu. 54. n. 145.* Nec vxor pro marito est testis fide digna, propter imperium maritale *L. 10. C. de re milit.* Verum & horum testimonium non absolute suspectum est, cum admittatur in quibusdam casibus, veluti, si veritas aliter haberi non possit. *Farinac. d. qu. 54. n. 171. & 221.* Addatur *Gabriel. de Testib. conclus. 17.* Ceteræ autem personæ, quæ proprie consanguineorum & adfinium nomine veniunt, indistincte admittuntur, cum nuspam prohibeantur *Nec fratrum.* esse testes. Vnde & fratres admittendi, quia non sunt excepti, propter generalem rationem *L. 1. §. 1. ff. de Testib.* vbi dicitur: *adhiberi possunt testes, quibus non interdicitur testimonium, nec vlla lege a testimonio dicendo excusantur.* Quod & confirmat *Carpzovius P. 1. C. 16. d. 53. n. 1. seqq.* Et quamvis dissentiat *Bachovius ad Treutler. Vol. 2. Diss. 5. tb. 8. lit. F. verb. fratrem in causa fratris* & plane fratrem audiendum non esse asserat, nullam tamen adfert aliam rationem, quam arctissimam coniunctionem, & inde præsumtam affectionem: sed ad hoc recte *Carpzovius d. l. 4.* *Nec obesse potest suspicio, qua oritur ex consanguinitate, quippe que tollitur per præsumptiones contrarias, qua oriuntur prædito iuramento de veritate dicenda, quia nemo præsumitur immemor salutis æternæ, ac nunquam præsumitur delictum aut periurium, maxime si testis alias sit homo nobilis, aut probæ fidei & honestæ vitæ.* Ut adeo omnino inepte leges, de

de parentibus & liberis, & vxore loquentes, a Do-
ctoribus ad consanguineos & adfines extendantur.

§. XXV. Ex quibus porro consequitur multo *Interrogat.*
magis ineptum esse interrogatorium: Ob Zeuge nicht *IV. ratione*
mit Producenten in guter Freundschaft stehe? Quod si enim *amicitia.*
consanguineis non sunt testes suspecti, multo minus ami-
ci pro talibus reputandi. An enim amicitia debet dero-
gare fidem? Annon regulæ Christianismi exigunt cum
omnibus sinceram amicitiam colere? Sane non est
maior amicitia quam inter veros Christianos, vti sum-
ma & intima est coniunctio inter membra vnus cor-
poris. Hic autem inimicitia, quæ vitium est, debet
testem fide dignum facere, & amicitia, quæ virtus est,
eum suspectum reddere. An absurdius quid, & omni
sanæ rationi magis aduersum, cogitari potest? Tam
ineptum itaque, vt alias rationes taceam, hoc inter-
rogatorium est, quam quod ineptissimum.

§. XXVI. Sed dixerit hic forte quispiam, malos *Respond. ad*
homines interdum propter arctissimam amicitiam *rationes con-*
mendacium dicere & veritatem reticere, & ipsum *trarias.*
Ictum in *L. 3. pr. ff. de Testib.* velle vt attendatur, *an*
testis amicus ei sit, pro quo testimonium dat. Verum re-
sponderetur, si mali homines id faciunt, sequitur, id non
facere bonos, vitium ergo & suspicio oritur non ex a-
micitia, sed ex improbitate testis & vitio personæ: hic
vero testis fidem non meretur, etiamsi amicus non
fuerit. In illa *L. 3.* præmittitur generaliter, ad vitam
testis an inculpara sit, respiciendum esse; vnde & Do-
ctores fatentur, cessare hanc exceptionem, si ex con-
ditione personæ testis constat, quod sit fide dignus.
Brunnem. ad d. L. 3. n. 5. & in Process. civil. c. 20. num. 4.

Nicol. Caluol. *in prax. iud.* §. 20. *concl.* 3. n. 9. Vmmius *ad Process. Diss.* 16. n. 25. Ergo, si persona testis fide digna, non obstat eum esse amicum; si non fide digna, non iuvat eum non esse amicum; & sic utroque casu interrogatorium est ineptum. Nec porro obiici potest, sæpe dubium esse, an persona sit fide digna, hoc ergo casu vtile futurum interrogatorium; nam respondetur, in dubio præsumtionem potius pro teste esse, cum is insuper iuramentum præstiterit, ob rationes supra allatas. Quid notius est, quam præsumtionem in dubio in meliorem partem esse formandam. Itaque & hoc casu interrogatorium hoc ineptum est.

*Interrog. V.
de frequenti
vsu S. Cœnæ.*

§. XXVII. Pergimus ad aliud interrogatorium, quod respicit usum S. Cœnæ: *Ob Zeuge sich fleißig zum Heil. Abendmahl halte / und wenn er zuletzt hingegangen?* Equidem frequentius hoc interrogatorium in causis criminalibus ipsi inquisito proponi solet, sed praxis tamen docet, etiam testes, maxime si leuioris conditionis sint, ita interrogari. Nos itaque in genere inspicimus, an hoc interrogatorium vtile sit ad eruendam veritatem. Idq; paulo solidius peragemus, cum summa in hoc interrogatorio lateat superstitio, quæ merito detegenda.

*Fundamentū
I. huius inter-
rogatorii, an-
te omnia re-
spiciendum
ad vitam be-
ne actam te-
stis vel inqui-
siti.*

§. XXVIII. Ante omnia videndum est, quibus fundamentis nitatur hoc interrogatorium, & cur illud tam vtile iudicetur. Vbi primo hoc se offert, quod omnino æquum sit ad vitam & mores ipsius testis respicere; & ita cum primis necessarium sit, hoc interrogatorium, si in criminalibus inquisitus sit interrogandus, cum vira inquisiti plurimum faciat ad eius inculpationem vel exculpationem seu defensionem.

nem. Quemadmodum non modo in iure civili docemur, illius, qui puniendus est, vitam ante actam considerare, *arg. l. 5. pr. ff. de Re milit.* sed etiam Carolus V. Imp. in sua nemesi iudici inculcat, vt potissimum attendat: Ob der Verüchtigte eine solche Person seye / zu der man sich dergleichen That wohl versehen mag? *Const. Crim. art. 25. 31. 44. Sc. Illustr. Dn. Stryk. Vol. III. Disp. IV. de vita ante acta cap. 4.*

§. XXIX. Cum itaque ex ante dictis certum sit ad vitam moresque testis & inquisiti ante omnia respiciendum esse, videtur illud probari posse ex frequenti usu S. cœnæ, cum hoc Sacramentum a Christo ideo institutum sit, vt frequenter eodem utamur, memoriamque passionis suæ, diligenter recolamus, vadeo qui hoc facit non possit non pro vero Christi discipulo haberi: quodsi ergo hoc frequenter fiat, admoneri sæpe hominem officii sui, & sic præsumi eum vitam quoque huic sacramento conformem agere, ac sic veritatem nullo modo celaturum.

§. XXX. Contra vero ex neglecto plane vel pariori usu huius sacramenti satis luculenter probari vitam male actam, cum nemo e Christianis conscientia sacratissimum hoc sacramentum contemnere possit: de hoc vero contemptu constare ex neglecto eius usu. Oportere ergo, vt a prauo viuendi genere abstinere non cupiat is, qui eo sacramento non utitur, vel tamen rarissime accedit. Vt ita videatur ex hoc interrogatorio constare posse, quid de persona eius, cui illud proponitur, sentiendum sit.

§. XXXI. Accedit quod is qui hoc sacramentum negligit & contemnit, pro hæretico habeatur, sed

Fundamentū
II. probitatem vite colligi ex frequenti usu S. Cœnæ.

Fundamentū
III. contrarium probari ex non usu Sacramenti.

Fundamentū
IV. Contemtores esse hæ-

*veticos & sic
nullam fidem
mereri.*

*Nostra sen-
tentia de hoc
interrogat.*

*Respond. ad
Fundament.
I. requiri om-
nino vitam
probe actam
in Teste.*

hæreticos esse testes suspectos, patet ex L. 21. *Et Auth. Cre-*
dentes C. de hæret. vbi expresse dicitur hæreticos ad testi-
monium, maxime contra orthodoxos, non esse ad-
mittendos.

§. XXXII. Hæc sunt potissima illa fundamen-
ta, quibus superstructum est hoc interrogatorium su-
perstitiosum, vti merito vocandum quæ tamen tanti
momenti non sunt, vt attendi mereantur; inde non
attentis istis rationibus statuimus, hoc etiam ineptum
esse. Idque ex generali regula superius proposita,
quia nihil facit ad seruendam veritatem, quocunque
enim modo responderit testis, non magis constabit,
an fide dignus sit, cum etiam si frequentissime sacra-
mento vsus sit testis, tamen propterea de probitate
vitæ ipsius non constet, & falsum testimonium dice-
re possit. Sed hæc clarius liquebunt, si fundamen-
ta illa accuratius discusserimus.

§. XXXIII. Quod ergo primum fundamen-
tum attinet, hoc in se satis bonum est, cum & a nobis
supra §. VII. *seqq.* probatum sit, ante omnia ad vitæ pro-
bitatem in examine testis respiciendum esse, quod om-
nino etiam in inquisito iuris & necessitatis est: Vn-
de potius hic accipimus, si stylo aduocatorum loqui
licet, quod id communis Doctorum & Iudicum tur-
ba fateri teneatur. Sed dolendum est, quod illius ra-
tio communiter in iudiciis non habeatur; vbi enim
repellitur testis propter corruptam viuendi rationem?
Sane si a delictis grauisimis, quæ ciuilem infamiam
inferunt, liber tantum sit, sine hæsitacione admittitur,
vtut omnium consensu sit Atheus practicus. Sed
quia iudices vt plurimum ipsi pessime viuunt, non
mi-

mirum est, quod vitia, quæ in se probant, in testibus improbare non soleant.

§. XXXIV. Equidem videtur in criminalibus *Er in inquisito.* maiorem vitæ inquisitionem haberi, vti omnino habenda esset, sed hoc fit superficialiter, nec debito modo. Respiciendum esset ad principia actionum humanarum, an ex vitio intellectus an ex vitio voluntatis quis peccauerit, sed hoc rarissime contingit, cum & Leges Iustinianæ ipsæ vitiis intellectus sæpe grauiores pœnas statuunt quam vitiis voluntatis, contra omnem sanam rationem. Exempla hic non adiicimus, aliquid tamen dicetur infra ad fundamentum IV. Deinde raro attenditur, an delinquens sæpius deliquerit, & iam habitum peccandi acquisuerit, an vero ceteroquin bene vixerit, nunc autem ex incuria lapsus sit, *der von einen Fehl übereilet worden Gal. VI, 1.* Ille certe grauius, hic mitius puniendus esset. Sed communiter eidem delicto eadem pœna statuitur, contra monitum Apostoli *cit. l.* & sanam rationem, cum tamen in hoc maior spes emendationis, quam in illo sit. Quin quod mali iudices, fratres suos, hoc est pessimos homines, sæpe mitius puniant, quam eos qui alias boni & pii ciues fuerunt, & nunc aliquando lapsi.

§. XXXV. Sed cum hæc omnia in thesi agnoscant, & tantum in applicatione erretur, pergimus ad *Resp. ad Fund. II. hoc* examen Fundamenti II. vbi nunc illud in contro- *superstitio-* uersiam venit, an ex frequenti vsu S. cœnæ constare, *sum esse & in-* possit de vita bene acta? Quod tacite affirmant com- *epum.* muniter, dum hoc interrogatorium formant, imo & expresse non pauci asserunt. Nos vero contrarium

D

asser-

asserimus & hoc fundamentum superstitiosum, dicimus ac ita ineptum. Nam superstitio maxima est, aliam ad Deum, ad vitam æternam, viam credere quam per veram & seriam pœnitentiam, illi ergo sunt superstitiosi, qui in vsu Sacramentorum & cultu externo Christianismum ponunt, quod omnes illi faciunt, qui ex frequenti vsu S. Cœnæ iudicant de vita hominis. Sed vt plenius constet quam fallax sit hoc criterium pietatis & honestæ vitæ, ac quam ineptum propterea hoc interrogatorium, quibusdam rationibus sententiam nostram confirmabimus.

Probaturs. (1.) §. XXXVI. Et primo quidem ineptitudo huius interrogatorii inde manifesta est, quia illud tantum *quia tantum vilioribus proponitur.* personis vilioris conditionis nunquam personis in magna dignitate constitutis proponitur, id quod ex praxi obseruatum est. Multa hic latent absurda. An enim ignominiosum hoc forte viris magni nominis est? An vero hi iam fide digni, quocunque modo vixerint? Annon sæpe diuites & dignissimi maximi sunt contemtores huius Sacramenti, & quidem si non nomine, tamen, quod magis est, re ipsa? Aut an maior est præsumptio pietatis pro illis quam pro vilioribus? Annon quis rectius dixerit, diuites & in dignitate constitutos maioribus vitiis vt plurimum ditos esse, quam pauperes & vilēs, quo ampliorem illi occasionem peccandi habent, & quo minus propterea puniri solent? Dum ergo frequens vsus sacre Cœnæ attenditur in vilioribus & non in dignioribus (cum tamen inter hos exempla dentur, qui diuturno temporis spacio hoc Sacramento vsi non sunt) eo ipso adseritur exinde de vita & moribus Christianis iudi-

iudicari posse & non posse, vel posse iudicari de persona testis etiãmsi ad frequentem usum Sacramenti non respiciatur.

§. XXXVII. Sed licet vel maxime hæc dignitas diuersitas non obseruaretur, nihilo tamen magis hoc interrogatorium vtile est, cum satis constet, idque sacerdotes etiam impii agnoscant, noni omnes, qui sacratissimo hoc Sacramento vtuntur, esse dignos conuiuales cœlestis huius epuli, sed multos indignos & impios sese ingerere. Id quod facile conspicipoteest, dum post usum eius plerique iis peccatis iterum indulgent, quibus antea dediti fuerunt. Quo pertinet elegans exemplum pagani, qui videns, Christianos Sacramento hoc vti, vt cum Deo vniantur, & mox tamen ad priora peccata redire, publice exclamauit. *Vidi Christianos omnium hominum maxime inhospitales, apud quos ne Deus quidem biduo commorari potest, quod ex Io. Valentino Andrea refert B. Brunnemannus Iur. Eccles. l. i. c. 6. m. 4. §. 1.* Pertinet huc aliud exemplum, quod obseruatum est ex Actis iudicialibus, ex Ducatu Megapolitano ad Facultatem Iuridicam Francofurtensem transmissis, vbi femina de Magia confessa & conuicta, cum ad hoc interrogatorium examinaretur, edixerat, se a Diabolo ad usum S. cœnæ sæpe instigatam esse his verbis: *Möhme gah tum Abendmahl t' is thyt.* Quod etiam aliam sagam confessam fuisse, relatum est ab homine fide digno, qui tum præsens fuit. Sane hoc certum est, Diabolum hoc tolerare posse, vt quis sacra Cœna vtatur, modo ipse ex corde hominis non eiiciatur, sed hoc habitaculum retinere possit.

(2.) Quia non omnes, qui vtuntur S. Cœna pii sunt.

(3.) quia &
culpa Sacer-
dotum impij
admittun-
tur.

§. XXXVIII. Neque hoc tantum casu ita contingit, sed & plerumque culpa ministrorum ecclesiæ, interdum etiam studio. Et studio quidem, quando nonnulli vident, in hoc vel illo nulla adhuc adesse veræ pœnitentiæ signa, eundem tamen admittunt, si modo formulam confessionis, licet frigide fatis, recitare possit, vbi vera causa suasoria est, ne priuentur exoptatissimo illo lucro confessionario (Beichtgeld.) Hoc si non impediret, longe faciliores essent in repellendis indignis ab usu S. Cœnæ. E suggestu quidem sacro clamant & vociferant tanquam hostes omnium peccatorum & rigidissimi, censores morum, essent, sed in loco confessionis im Beichtstuhl omnes sunt acceptissimi indistincte, es sind alle liebe Beicht-Kinder. Si a dolo hic immunes plerique sunt, liberi tamen paucissimi sunt a culpa, quæ in eo consistit, dum non satis inquirunt; in confitendi fundamenta pietatis, an hoc vel illud vitium emendauerit? an cum aliquo inimicitiam alat? quantum in Christianismo profecerit? Ut verba habent Brunnem. cit. l. §. 3. dum communiter trium horarum spacio admittuntur 30. 40. 50. communicantes, de quo recte conqueritur Brunnemannus ibidem, & addit, admitti etiam interdum religionis Christianæ, Legis ac Euangelii plane ignaros.

Illustratur
exemplis.

§. XXXIX. Rem exemplis demonstrare non inutile iudicamus. Producimus autem primo exemplum, quod B. Brunnemannus cit. l. habet, verba ipsius hæc sunt: Referam hic exemplum, non ita pridem ex actis criminalibus ad facultatem transmissis observatum, vbi inquisitus inter generalia alia examinabatur. Interrog. 6. Ob er zur Schulen gehalten worden / und ob er das siebent
de

de Geboth wüſte? *Resp.* Er könnte weder ſchreiben noch leſen / wäre auch nicht zur Schulen gehalten worden / daher er die zehen Gebothe nicht gelernt. *Interog.* 7. Ob er ſich zum Tiſch des Herrn gehalten / und wie lange es ſeye / daß er zum letzten mahle da geweſen? *Resp.* Ja / und wäre erſt vor 14. Tagen zur Beicht gegangen. *Quis hic ſocordiam Miniſtri Eccleſiæ in examinando conſistente non aduertit?* Hæc Brunnemannus. Sane ſi viſitationes accuratæ inſtituerentur, facillime probari poſſet, nimiam adhucdum eſſe ſocordiam miniſtrorum Eccleſiæ, & quaſi ſine ullo examine omnes admitti ad ſacramentum, dignos & indignos. Ita etiam Oldekop, *tit. 5. caut. crim. 18.* teſtatur de quodam, qui laqueo ſuſpendendus, vix recitare potuit orationem dominicam, & interrogatus, a quo eſſet redemptus, reſpondit a S. Petro. Hunc tamen haud dubie frequentiffime ad S. Cœnam admiferunt ſacerdotes. Accedit, quod interdum peruerſi Doctores defendant, impios admittendos eſſe ad S. Cœnam, modo non plane peſſimi ſint. Ita in *Diſſ. Ieh. na Anno 1690. habita de eo quod circa S. cœnam iuſtum eſt, cap. 5. §. 4.* defenditur, ebrium quidem non eſſe admittendum, ſed hoc intelligendum eſſe, de caſu extrema & perfectæ ebrietatis, qua omni rationis uſu hominem priuauit, non autem ſi imperfecta tantum fuerit ebrietas, v. g. crapula, qua linguam quidem atque pedes & forte mentem aliquantum turbauit, reliquit tamen facultatem ſat commode diſtinguendi inter bonum & malum: maxime ſi hæc ebrietas fuerit inuoluntaria, ſcil. quia combibones potui vinuſum, vel ſalem, immiſerunt, aut vinum generoſum affuderunt pro aqua, aut in eſtu is & ieiunus hauſit meracum, cuius vires ignorabat, non prauidens periculum ebrietatis.

Horreo dum hæc scribo, adeo enim impia & absurda est hæc sententia, vt dici satis non possit. Hinc in eius refutatione non morabor, adduxisse iam est refutasse. Id tantum addo, si & defenditur a quibusdam istiusmodi homines, qui tamen reuera impii sunt, esse admittendos ad S. Cœnam, certe vsus huius Sacramenti non erit medium probandi pietatem vitæque integritatem.

(4) Quia dignus vsus indicatur ex vero conceptu cerebri-
no.

§. XL. Sed & non leue argumentum contra assertum, quod ex frequenti vsu S. Cœnæ probetur vitæ integritas, præbet illa peruersa praxis plerorumque ministrorum Ecclesiæ, qui fere vnice respiciunt in examine confitentorum, an verum conceptum de S. Cœna habeant, quomodo etiam alias viuant. Vnde recte Brunnemannus d. §. 3. *verum, inquit, quamuis interdum peritiam articulorum fidei habeant, videbis tamen, promiscue admitti proteruos, multisque vitiis præter ignorantiam laborantes.* Ita pueri, si modo Catechismum didicerint, & sciant, quid capiant in Sacramento, statim admittuntur, etiamsi nulla adhuc seriæ pœnitentiæ vestigia vnquam ediderint. Rem comprobo verbis emphaticis optimi Theologi, Theophili Großgebauers/ quæ, cum consensu & approbatione Theologicæ Facultatis Rostochiensis, scripsit in *der Wächters Stimme cap. 5. p. m. 71.* *Daher ist eine ganz grausame/ und euch Fürsten/ euch Patronen/ euch Geistlichen/ euch Weltlichen ganz unverantwortliche Unwissenheit unter uns eingerissen/ daß jedermann des Abendmahls Kern und Safft in der hochgelehrten Leute Speculationen suchet/ und wann man nun Frage hält/ was doch die armen Leute für einen Verstand darüber haben/ was sie für Andacht/ Meditationes,*

nes, Gedanken dabey anstellen/ wohin doch die Genießung dieser heiligen Speise von ihnen gemeynet: so wissen sie nichts/ als daß sie wollen den wahren Leib Christi im Sacrament essen und sein Blut trincken. Damit hat die Sache ihren Bescheid/ und währet die Andacht hierüber nicht länger/ als das Essen und Trincken im Sacrament währet/ nemlich etliche Augenblicke. Hierinn soll diese hohe Handlung bestehen/ und in dieser unfruchtbahren Wissenschaft/ ach leyder! sich enden. Und wir Prediger sind auch damit zufrieden/ wenn die Communicanten nur ein und ander hieher sich beziehende Fragstück erzehlen können. Aber nein! lieber Bruder/ wo bleibet die Lehre von der Versiegelung des Todes Christi im Sacrament? Von der Gemeinschaft seines Leidens? Von der Appropriation und Zueignung durch das Essen und Trincken des einigen Versöhnopffers? Von dem kräftigen und lebendigen Gedächtniß des Leidens und Sterbens Jesu Christi? Von unserer Vereinigung mit dem Tode Jesu Christi? Von unserer Gleichförmigkeit mit seinen für uns Sünder zerschlagenen/ verspeyten/ geißelten/ gebrochenen Leibe? Von unserer Austerbung der Welt und ihrer Lüste/ durch Annehmung des für unsere Sünde geopfferten Leibes? Von der hohen Obligation und Verschreibung/ die wir thun/ dem Tode Jesu Christi/ je länger je mehr ähnlich zu werden/ und das Weltleben zu verlängnen? Von der Brüderlichen Liebe durch diß Sacrament bestättiget? Von der herzgründlichen Versöhnlichkeit? und was dergleichen mehr. --- Der Got: lose Blutdürstige Soldat/ der geizige Geld-Sudler/ der wollüstige Bauch-Diener/ das hoffärtige Weibs-Stücke/ diese suchen alle im Abendmahl ihre Seeligkeit/ dann sie wissen daß sie darinn des HERRN Christi Leib essen/ und sein Blut trincken/ weiter können

nen sie nicht gedensken / dann sie sind nicht besser gelehret. Daher werden viel Millionen Seelen unter des Sacraments Genießung erbärmlich betrogen. Non potuimus non hunc locum huc referre, quia prorsus egregius, ideo veniam a beneuolo lectore facile impetrabimus.

*Vnde constat
hoc interro-
gatorium in-
eptum.*

§. XLI. Quodsi ergo illæ rationes colligantur, nemo sanæ mentis erit, qui non percipiat ex frequenti vsu S. Cœnæ nihil minus probari quam integritatem personæ, quia tot indigni semper admittuntur ad vsûm S. Cœnæ, vel præter culpam ministrorum. Ecclesiæ, vel ex Intentione eorum & culpa. Vnde ergo constabit, an hic, qui nunc examinatur, digne vsus fuerit Sacra Cœna? si dicis ex probitate vitæ, & quia moribus Christianis deditus, respondeo, ergo hoc non constat ex frequenti vsu S. Cœnæ, id quod erat demonstrandum.

*Remouetur
obicctio.*

§. XLII. Vnicum dubium tollendum est, scilicet, præsumi tamen vnumquemuis digne accedere ad vsûm Sacramenti, & sic ex hoc interrogatorio liquebit, esse pro teste præsumtionem fidei. Sed respondeo, hoc negandum esse, vtut enim alias in communi brocardico quilibet bonus præsumatur, hoc tamen non aliter quam de bonitate ciuili intelligendum, scilicet quod nemo præsumatur contra leges deliquisse, ac propterea pœna dignum esse, nisi hoc probari possit. Quodsi vero de bonitate morali ac vera pietate quæstio sit, non errauero si dixerim: *quilibet præsumitur in malus.* Corruptissima enim est natura nostra, procliuius ad pessima quæque, quorum pertinent verba *Can. i. caus. XII. qu. i. Omnis et as ab adolescentia in malum prona est*, insuper eadem a vera pietate & abnegatione sui

*Quilibet
presumitur
malus.*

fui ipsius abhorret, nec ad hanc, nisi destructis naturæ cupiditatibus, perueniri potest; cum ergo omnis præsumptio ex naturali conditione rei desumatur, & illud præsumatur, quod se ita habet ordine & cursu naturali, non autem mutatio arg. *L. 27. C. de testam.* Barbosa. *Thef. Pract. voc. Mutatio Axiom. 1.* & vero secundum naturalem conditionem homo fit malus, conuersio autem & mutatio animi fit facti, hinc utique, secundum principia iuris etiam, quilibet præsumitur malus. Itaque ex hoc etiam capite reuicimus hoc interrogatorium, quia illud præsupponit omnes Christianos esse pios, quod præsuppositum falsum est. Quamobrem si de vita sua ipse testis testimonium perhibere debet, (quod tamen non parum est inconueniens) loco huius interrogatorii, quod nullius momenti est, potius ita interrogandus: *Ob Zeuge wahre Bussé gethan? Was er dessen vor Zeichen geben könne? Was vor Sünden er schon in wahrer Bussé überwunden und abgelegt?* &c. Ad has & similes quæstiones si respondere tenerentur testes, o quam hæsituri essent plerique, ignorantibus quid respondere debeant.

§. XLIII. Cum ergo ex præcedentibus pateat, *De Attestatis* falsum esse illud fundamentum, ex frequenti usu *S. Ministrorum* Cœnæ probari vitæ probitatem, non possumus non *Ecclesia.* hac occasione pauca addere de attestatis Ministrorum Ecclesiæ plerorumque. Ab illis enim si testimonium desideretur, quam vitam hic vel ille transegerit, & quid de pietate & Christianismo eius sentiendum, communiter his verbis de integritate vitæ alicuius restantur: *Er habe sich fleißig/ und zu rechter Zeit/ zur Beicht und Abendmahl eingefunden/ versäume keine Predigt/*

E

digt/

dig; man wisse ihm auch nichts böses nachzusagen / daher er ihm nicht anders als ein gutes Zeugniß geben könne. Hæc attestata non sunt maioris momenti, quam hoc de quo nunc agimus interrogatorium: Quin potius testantur hoc ipso illi Ministri Ecclesiæ, quod ipsi adhuc ignorent, quid sit pietas? quid Christianismus? An enim usus S. Cœnæ, an diligens frequentatio concionum, ostendit hominem pium esse? Perditissimus homo esse potest, in quem hæc omnia cadunt. Abstinerere a peccatis maioribus in conspectu aliorum, an hoc est signum Christiani hominis? Ethnicici quoq; id fecerunt & plus quam Christiani plerique. Sed ita tolet proh dolor Christianismus in actibus externis constitui, uti testantur *conciones funebres* pleræque, ubi ex nullo alio capite, quam ex his & similibus actibus externis, laudari solent mortui.

Respond. ad
Fund. III.
probationem
illam esse lu-
bricam.

§. XLIV. Sed pergimus ad fundamentum III. huius interrogatorii supra §. XXX. expositum ex usu, parciiori huius sacramenti directo probari impietatem, & vitam male actam. Primo enim nondum constat, quis sit usus non frequens: In primitiva Ecclesia singulis diebus, vel singulis septimanis, aut mensibus, utebantur S. Cœnæ; hodie autem ubi refrigerescere cœpit ardor, vel binis, vel tribus, vel ad summum quatuor vicibus in anno ad S. Cœnam accedunt, neque permittitur hodie singulis diebus Sacramento uti: Hinc si a parciiori usu valet argumentum ad malos mores, plerique etiam ex ipsis Ministris Ecclesiæ, qui hodie non minus raro utuntur sacramento, pro impiis & suspectæ fidei habendi essent. Deinde non solus parciior usus hic attendendus sed causa.

Sunt

Sunt quidam qui non exiguo tempore abstinent, non ex contemptu sacramenti, sed ex sensu indignitatis suæ, dum enim in lucta versantur cum peccatis suis & actu pœnitentiæ, in tam vehementi contritione non audent accedere ad sanctissimum sacramentum, quo se omnino indignissimos iudicant. Hos quis sanæ mentis dixerit contemptores? Vicissim plerique tanquam imundi sues currunt sæpissime ad sacramentum, an ergo hi illis præferendi? idem iudicandum de iis qui plane usum S. Cœnæ negligunt. Equidem eorum causam non agimus, neque animus est eos in sententia sua confirmare; sed id tantum dicimus, non statim eos omnes pro contemptoribus Sacramenti generaliter habendos, sed iterum in causam inquirendum esse. Nemo enim in praxi Christianismi versatus ignorabit, eousque procedere interdum *tentationes*, ut etiam pientissimi homines, ob varios conscientiæ scrupulos, eo adduci possint, ut putent, non recte se facere, si ad sacramentum accederent, cum tantus numerus malorum & pessimorum hominum admittatur, quos suo accessu in peruersa illa sententia confirmarent, & cum quibus tamen in vera vnione amoris & spiritus, quæ inter communicantes requiritur, esse non possint. Vt ut enim hi in errore constituti sint, errant tamen bona fide, non contemnunt Sacramentum, sed abusum eius, ac propterea tolerandi, conuincendi amore & bonis verbis, non eorum fides statim pro suspecta habenda: magis enim hi amant veritatem, quam plerique ex iis, qui frequentissime accedunt.

§. XLV. Cum ergo hæc distinctio non obseruetur, sed mox indistincte omnes, qui non frequen-

E 2

Quis sit contemptor sacramenti sit.

tissime vtuntur S. Cœna pro contemptoribus habeantur, vtile effat accuratius inquirere, in quonam verus contemptus Sacramenti consistat; Sed cum instituti ratio hoc non permittat, breuissimis tantum sententiam nostram exponimus. Contemptus est vel *expressus*, vel *tacitus*; expressus est, quando quis verbis expressis sacramentum hoc contumelia afficit, flocci habet, blasphemisque verbis id reiicit. Horum exiguus numerus est, cum & peruersissimi homines expresse hoc Sacramentum reiicere non soleant, cum alias ex nulla re probare possent quod Christiani sint, nisi ex hoc externo vsu S. Cœnæ, quem apprehendunt, vt ita eo sanctiores habeantur ab hominibus. Tacitus vero contemptus est, cum homines verbis quidem laudant & extollunt eius vsu, interim tamen ipso facto eum contemnunt, & sanguinem Christi pedibus conculcant, dum nihilominus ad peccata priora redeunt, & ita sub hoc prætextu se multo securius peccare posse existimant: quorum numerus ingens & quasi innumerus est. Hic contemptus non minor, sed certo respectu longe maior est: cum tamen rarissime hi vt contemptores redarguantur. Ex quo luce meridiana clarius patet, quam peruerse illi quasi soli, qui interdum ex conscientia scrupulo, & vi tentationis adacti, ad aliquod tempus ab vsu S. Cœnæ abstinent, in se tamen hoc Sacramentum magni æstimant, & ceteroquin bene viuunt, pro contemptoribus Sacramenti etiam a nonnullis Ministris Ecclesiæ habeantur.

Respond. ad § XLVI. Quod tandem ad IV. Fundamentum
Fundam. IV. huius interrogatorii, cuius supra §. XXXI. meminimus, adinet, primo ex dictis patet, non statim omnes,
Non omnem qui

qui S. Cœna rarius vtuntur pro hæreticis habendos. *hæreticum*
 Sed fit etiam ita, in testem productum esse, qui alterius *esse suspen-*
 Sectæ est, & vsum huius sacramenti reiicit, ex peruer- *-tum fidei.*
 fa persuasione animi sui, an huius testimonium statim
 vt suspectæ fidei reiiciendum? Vbi iterum non dis-
 quirimus, an hic ipse pro hæretico habendus sit, sed
 in genere asserimus, ex eo solo testimonium alicuius
 suspectum dicere, quia testis hæreticus & diuersæ reli-
 gionis est, ratione nulla fundatum esse. Agitur hic de
 probatione facti, hoc factum vero æque potuit vidisse
 hæreticus quam orthodoxus. Recte, dicis, potuit vterq;
 vidisse, sed an etiam vterq; fidem mereatur, quæstio est,
 hic ergo præferendum esse orthodoxum hæretico: sed
 nos adhuc contrariū sentimus idq; ex rationib; sequen-
 tibus. Religio testis an vera an falsa sit, nihil facit ad veri-
 tatem testimonii: potest quis erroneam fouere fidei
 tentiam de mysteriis diuinis, & tamen veritatem dice-
 re, & potest quis verum habere conceptum de rebus ad
 religionem pertinentibus, & tamen mentiri. Religio
 quidem a *religando* dicitur, & is proprie veram reli-
 gionem habet, qui per eam cum Deo religatus & re-
 unitus, eoque sensu si hodie acciperetur religio, ali-
 ter vtique dicendum esset; enimvero quia hodie reli-
 gionem ex conceptu theoretico iudicatur, & is veræ reli-
 gionis esse dicitur, qui verum conceptum de rebus
 credendis & articulis fidei habet; vtique religio ipsa
 nihil facit, vt huic propterea maior fides in iudiciis
 habenda sit. Potissimum fundamentum cui fides et-
 iam humana innititur, est pietas & integritas vitæ,
 cum vero pessimus homo possit optimam profiteri
 religionem, ceu exempla quotidiana docent, apparet
 religio-

*Presumptio fi-
 dei non de-
 pendet a ve-
 ra religione.*

religionem ipsam nihil per se conferre ad veritatem testimonii. Contra vero potest quis errores fouere in intellectu, & ita non puræ religionis membrum esse, & tamen pius, moribusque Christianis maxime deditus, esse; vitium enim *intellectus* non statim infert vitium *voluntatis*. Hic ergo si reuera timore Dei regatur, haud dubie erit testis fide dignus, vtut veram & puram religionem, loquimur in sensu communi & recepto, non habeat.

*Hereticus
potest esse fi-
de dignus.*

§. XLVII. Hunc ergo si hæreticum dixeris, patet, eum esse fide dignum. Non id asserimus de omni hæretico, vt nec omnem orthodoxum suspectum dicimus, sed de vtraque parte is fide dignus erit, qui pietati & integritati vitæ deditus est, & is suspectus, qui peccatis subiectus & malis moribus se contaminauit; vt ita ad religionem & confessionem fidei Christianæ respiciendum non sit. Sed dixerit hic quispiam, in hæretico adesse non tantum vitium intellectus, sed & vitium voluntatis, cum is demum pro verò hæretico reputandus sit, qui veritatis conuictus præfracte contra conscientiam suam veritati repugnat, & eam agnoscere recusat: respondeo hoc esse *κρίσιμον*; quod si enim hoc constaret, hunc vel illū tam perfrictæ frontis esse, hunc & suspectæ fidei esse non abnuerem. Sed illud dubiū est, neque facile quisquam ex hæreticis fatebitur, se in conscientia conuictum esse, quis ergo erit Iudex? Certe non aduersarius, qui cum hæretico disputauit, qui in propria causa suspectum iudicium reddet, nec conscientiam hæretici introspicere poterit, vtut reuera conuictus sit, an secus: forte enim argumenta ab ipso pro-

prolata non suffecerunt ad contuincendum hæreticum: Dicis, nec tamen hæreticus ipse potest esse iudex, qui erubescet propriam malitiam fateri: Ergo solus Deus hic erit iudex, an hic homo refractarius sit, an vero nondum conuictus. Interim in dubio in meliorem partem facienda interpretatio, & dicendum, hunc qui pro hæretico habetur, forte erroris sui nondum esse in conscientia conuictum, & sic errare quidem eum, non vitio voluntatis, sed vitio intellectus. Hoc sane iudicium in casibus dubiis exigit amor quo proximo obstricti sumus. Inde vt verba colligantur, hæreticus, si ceteroquin pie & honeste viuat, erit testis fide dignus.

§. XLVIII. Nunc ergo ad textus supra §. XXXI. *Respond. ad*
 obiectos respondendum est. Sed quid aliter respon- *L. 21. C. Aurb.*
 deri potest, quam eos falsis principii Pontificiorum, *Credentes C.*
 & superstitione niti, quod ex antecedentibus per se *de heret.*
 fluit, & sic non stringit nos decisio iuris Ciuilis. Sane
 posset admitti decisio iuris ciuilis, si hæreticus in causa
 religionis testimonium perhibere deberet, sed quod
 a testimonio in causa ciuili, religionem non concer-
 nente, repellendi sint, hoc vero absurdum est. Forte
 ratio decisionis fuit, quia hæretici contra orthodoxos
 odio feruntur, sed hoc in genere de omnibus hæreti-
 cis asserere iniquum est; cur non & orthodoxis con-
 tra hæreticos interdicitur testimonium, cum tamen
 & illi sæpe odio plus quam vatiniano æstuent contra
 hos? In specie autem *L. 21. C. de heret.* absurditatis con-
 uinci ex propriis verbis potest. Distinguitur ibi in-
 ter negotia *iudicialia* & *extra iudicialia*; in illis dicitur,
 testimonia hæreticorum contra orthodoxos recipien-
 da.

da non esse; in *his* autem, scilicet in testamentis & contractibus, recipienda esse eorum testimonia, sine vlla distinctione; Et huius rationes redduntur duæ, (1.) *propter utilitatem necessarii usus*, (2.) *ne probationum facultas angustetur*. Verum istæ rationes etiam ad negotia iudicialia applicari commodissime possunt, quodsi enim vllibi necessitas exigit testes, sane in iudicio exigit, vt veritas omni ratione eruatur: imo longe magis necessarius usus est in iudicio, quam extra illud, nam in contractibus seligere quis testes potest quoscunque, sed in probandis factis in iudicio, hoc non est in arbitrio partis, sed necessario producere illos testes debet qui notitiam facti habent: quod primum absurdum est. Deinde si hæreticus vt testis vocetur ad contractum duorum orthodoxorum, & postea ex contractu illo lis oriatur, an hoc vel illud promissum sit, necessario is hæreticus, qui contractui præsens fuit in iudicio testimonium dicere debet contra orthodoxum, quod tamen omni hæretico interdixerat antea Iustinianus, quæ manifesta contradictio alterum absurdum gignit. Sed & tertium nascitur absurdum, ex secunda ratione, si enim probationum facultas angustanda non est extra iudicium, multo minus in iudicio permittendum vt angustior reddatur facultas probationum: cum alias non possit sufficienter inquiri in veritatem. Porro *Auth. Credentes C. d. t.* papismum satis superque spirat, primo enim dicitur, *credentes præterea receptatores & defensores, & fautores hæreticorum, damnamus*. Sed damnare aliquem non est in potestate Imperatoris, papistica phrasis est; temporibus Friderici vsitata, dissentientes mox damnare, maxi-

maxi-

maxime cum hic non solum hæretici, sed & receptatores eorum & defensores damnentur: miseri illi homines ab vno tamen homine recipiendi, cum non per auras volare possint, & defendendi sunt, anne ergo defensionem ipsis denegare est papisticum? Ne dicam quod & excommunicationis papisticæ & satisfactionis mentionem expresse faciat Authentica. Sed hætenus, ni fallor, sufficienter dictum est, de ineptitudine huius interrogatorii, quæ omnia plenius fusiisque tradi potuissent, nisi temporis ratio habenda fuisset.

§. XLIX. Inter abundantes quoque & inutiles *Interrogat.* quæstiones illam refero: *Ob Zeuge nicht von Producenten in dieser Sache Zeugniß zugeben angesprochen worden?* *VI. An testis rogatus sit ad* Quod interrogatorium vix vnquam omitti solet. *testimonium dicendum.* Quod si vero hic quoque ad rationem respicimus, cur hoc admittatur, communiter eam reddunt, quia ex rogatione producentis sinistra oriatur præsumptio, testem pecunia corruptum esse, quæ testem suspectum faciat; vnde etiam, non rogari debere testem a producente, defendit Ruland. *de Commissar. P. 1. l. 5. c. 12. n. 30. & P. 4. l. 1. c. 30. & 31.*

§. L. Verum, quam imbecillis sit hæc ratio, qui libet facile animaduertet. An enim sola rogatio potest efficere, vt præsumatur, testem non ex vera conscientia, sed in fauorem rogantis testimonium dicturum? Neque ob solam rogationem testis statim præsumendus est corruptus, huc enim aliud interrogatorium spectat, quod recte adhibetur: *Ob Zeugen solch Zeugniß abzustatten etwas gegeben oder versprochen worden?* Certe nihil in se vitii habet rogare eum, qui ne-

F

gotio

gorio gesto prælens fuit, vt testimonium dicat; non potest hoc pro specie quadam corruptionis venditari. Nihil est frequentius, quam vt in ipso quoque actu, e. g. si quis iniuria affectus, rogentur præsentés, vt necessitate exigente quod viderunt & audierunt testentur coram iudice. Sæpe etiam nolumus vt inuiti cogantur ad testimonium in causa nostra dicendum, hinc prius rogare eos solemus, vt illud sponte faciant, si fuerint a iudice requisiti! Quodsi ergo testis alias sit fide dignus, ob solam rogationem non poterit suspectus dici.

*Respond. ad
textus obfian-
tes.*

§. LI. Sane textus ex Iure Canonico desumpti, ad quos prouocant dissentientes, scil. *Can. 114. Caus. 1. qu. 1. & Cap. 10. X. de Ætat. & qualit. & ord. præfic.* nihil omnino probant, & ne quidem argumentum præbent pro sententia contraria. Rectissime ergo ab ista sententia recedit *Mynsinger. Cent. 4. obs. 3.* ex sola petitione facta non posse testem pro subornato haberi, statuens.

*Ampliatur
nostra senten-
tia.*

§. LII. Id quod non tantum verum existimo, si testis rogatus fuerit vt quod verum est testetur, sed & si ad mendacium dicendum alter eum inuitare voluerit. Facit enim hoc producentis quidem causam deteriore & eum pœnæ dignum reddit, sed testimonium ipsum propterea non fit suspectum, si alias testis fide dignus sit: Quodsi non fuerit, neque eius testimonium sine suspitione erit, quanquam a producente non fuerit rogatus. Vt adeo, quocunque modo testis ad illud interrogatorium responde- rit, nihil hoc ad causæ decissionem facere possit.

§. LII.

§. LIII. Eiusdem farinae est hoc interrogato- *Interrogat.*
 rium consuetum: *Ob Zeuge die Beweis (Gegenbeweis) VII An testis*
Articul jemahls gelesen oder lesen hören? wer ihm solche ge-
zeigt und vorgelesen? Quod communiter inter ea in- culos proba-
 terrogatoria referunt, ex quibus constare possit, an- *toriales.*
 testis suspectus sit. Maxime si specialibus ordinatio-
 nibus prohibitum sit articulos ostendere testi, ante-
 quam testimonium dixit, tum enim induci præsum-
 tionem suspicionis, & testimonium debilitari, statuit
 Martini *ad Proc. Sax. tit. 20. §. 2. n. 266.* Cui accedere vi-
 detur ratio, quod per communicationem articulorum
 testis deliberare possit, quomodo constanter contra
 veritatem deponere debeat.

§. LIV. Verum licet non facile suaderem, vt ar- *Ineptum est.*
 ticulos testi legendos traderet producens, quo litigia
 hac de re euitentur, interim tamen si id factum fue-
 rit, non video, quæ hic causa suspicionis esse debeat.
 Interdum id res ipsa exigere potest, veluti in factis an-
 tiquis, ante aliquod annos peractis, vbi aliquo tem-
 pore opus est, ad recolendam memoriam excutien-
 damque, ne quis ignoranter contra veritatem testetur.
 Quid ergo si respondeat testis: *Er habe die Beweis-*
Articul gelesen/ siue: Producent habe sie ihm vorgelesen/
 an nunc dicemus, hic testis suspectus est? Absit. Sola
 enim rei noticia non potest tam efficax esse, vt testem
 inducat ad periurium: Si falsum testimonium dicere
 animus ipsi est, hoc faciet, etiam si nullam articulorum
 notitiam habeat, quia ipsi præleguntur tum cum ex-
 aminatur.

§. LV. Nec rationes in contrarium allatae quid- *Respond. ad*
 quam euincunt. Licet enim communicatio articu- *rationes con-*
 lorum *trarias*

lorum Legibus provincialibus eo loco fit prohibita, ex hoc tamen solo testis alias fide dignus, non fit suspectus. Peccat ita producens quod articulos, contra prohibitionem Legis, prælegat testi, sed hoc testi non est præiudicio neque eius fidem minuit, si non aliæ adfuerint iustæ suspicionis causæ. Sit ita, tempus hac ratione concedi testi, quo deliberare possit, quid dicere velit; laudabile est rem prius accuratissime perpendere, antequam quis testimonium dicat, ne vilo verbo offendat veritatem. Instas: potest testis ideo deliberare, ut mendacium caute proferre possit, ne in verbis capiatur, & sibi contradicat. Respondeo: Etiam potest hoc non facere; a posse ad esse non valet consequentia. In dubio sane interpretatio fieri debet in meliorem partem.

Interrogator. §. LVI. Non infrequens etiam est interrogatorium: Ob Zeuge sich öffentlicher Laster / als Todschlages / *sibi conscius* Ehebruchs und dergleichen schuldig wisse? Viderur hoc *crimini sit.* interrogatorium eo vtilius esse, quo magis ad detegenda peccata est directum. Sed recte communis *Communiter* Doctorum Schola hoc interrogatorium reicit, ita *reicitur.* ut testis ad illud respondere non teneatur, cum hoc interrogatorium sit criminofum, nemoque propriam turpitudinem dicere teneatur, nec eam allegans audiri debeat. Quam sententiam prolixè cum limitationibus exponit Martini *civ. tit. 20. §. 2. n. 103. seqq.* Nos in præsentì non excurimus eius rationes, circa quas aliquid moneri posset, cum decisio recte se habeat. Vnde & in Recessibus Imperii, & plerisque ordinationibus provincialibus hoc interrogatorium prohibitur, quarum magnum numerum exhibet Martini

*Et legibus
prohibitum
est.*

d. l.

d. l. n. 106. Vt exinde satis constet hoc interrogatorium ineptum esse, secundum axioma II. supra §. XII. propositum.

§. LVII. Nos autem, non tantum ex eo, quod *Improbatur* nemo teneatur proprium delictum fateri in iudicio, *etiam ex alio* nisi iudiciis legitimis grauarus, & inquisitio rite institu- *fundamente,* ta sit, sed etiam ex alio fundamento hoc interrogatorium reiicimus; quia causam suspicionis tantum in perpetratione grauisimorum criminum quaerit. Quid enim si testis non vereatur respondere ad hoc interrogatorium, *er sey sich keines öffentlichen Lasters bewusst,* an propterea pro fide digno habendus? Minime vero. Potest enim testis liber esse ab omnibus grauisimis criminibus, & tamen eius testimonium suspectum dici. Non est signum Christiani hominis nulla crimina perpetrasse, ac ita nulla pœna humana dignum esse, hoc enim in hominem etiam ethnicum cadere potest. Quod si vero ceteroquin vitam minime Christianam degerit, suspectæ fidei nihilominus erit, vt ut a magnis excessibus, etiam legibus humanis punitis, immunis sit.

§. LVIII. Sed quid si testis, etiamsi de iure non *Quid si testis* teneatur, tamen respondeat, & fateatur crimen *fateatur cri-* quod? Respondent Doctores, eum non sibi quidem *men?* præiudicare, ita vt propter hanc confessionem, pœna crimini statuta plecti possit, quia confessio non est mediis iustis elicitæ, bene tamen eum hoc ipso nocere producenti, vt hoc testimonium, tanquam testis infamis, pro se vsurpare nequeat, cum testis criminofus tam in causa ciuili, quam criminali, a testimonio repellatur. *L. 3. §. 5. ff. de testib. Martini d. l. n.*

107. *seqq.* Sed nostra sententia nec producenti absolute & simplici casu præiudicat. Nam primo non omnis testis qui delictum aliquod perpetravit civiliter infamis est, sed is, qui ob delictum per sententiam condemnatus est, sicut & in *cit. l. 3.* eius fit mentio *qui iudicio publico damnatus erit.* Deinde quamvis etiam sine condemnatione sola perpetratione delicti testis se suspectum fecerit, cum eiusmodi crimina utique probitatem vitæ & integritatem tollant, ceu supra diximus: Interim tamen & hic iudicio discretivo opus est. Poteest enim forte antea tale crimen commisisse, & postea egisse seriam pœnitentiam, ac pietate vitæque integritate ostendisse, quod nunc utique abhorreat ab isto & omnibus peccatis, etiam iis, quæ communiter pro peccatis non habentur. Hoc certe casu, cum & Deus ipse, iustissimus iudex, nolit recordari peccatorum antea commissorum, post peractam seriam pœnitentiam, an ea ab humano iudice iterum impuranda? Fatendum tamen est, hoc tum saltim obtinere, si ex certissimis signis de seria pœnitentia eius constare possit.

Interrogator.
IX. *de crimine aliorum testium.*

§. LIX. Connexum cum interrogatorio modo adducto illud est: Ob Zeugen bewußt / daß seiner Mitgezeugen einer mit einen Laster behaffet / und was solches für ein Laster sey? Hoc an admittendum sit in diuersas abeunt sententias Doctores, reiicit illud Ruland. *de Commissar. p. 1 c. 17. in fin.* Martini *d. l. n. 14. seqq.* Alii vero illud admittunt, maxime cum legibus expresse non sit prohibitum. Nos priori sententiæ accedimus, non ex ratione quam adfert Martini *d. l.* quia nec socius criminis contra socium interrogari possit, nam hæc ratio

no

tio non sufficit, (1.) quia in quibusdam casibus socius criminis de socio recte interrogatur, de quo Carpzou. *Pr. Crimin. qu. 121. n. 23. seqq.* & (2.) quia ideo non attenditur confessio socii, quod huius testimonium tanquam de fide suspecti non attendatur, quod secus erit, si testis fide dignus de crimine contestis sui interrogetur. Ex alio igitur principio defendenda ista sententia. Scilicet, quia non licet iudici sine indiciis sufficientibus, testes de crimine certæ personæ, deficiente insuper corpore delicti, examinare. Vt adeo hoc interrogatorium si non contra verba tamen contra sententiam legum sit. Hic autem per hoc interrogatorium reuera institueretur inquisitio contra contestem ita grauatum, cum tamen nulla adsint indicia. Fac enim testem vnum ad hoc interrogatorium respondisse, *es sey ihm bewust / daß der eine Zeuge einmahl einen Diebstahl begangen*: quid nunc faciendum, an huic simplici assertioni credendum? Hoc sane contra communissima principia esset. Dicis, inquirendum esse, an etiam res ita se habeat: Ergo hic inquisitio instituitur, antequam constet, an vnquam furtum hoc sit commissum, & adeo adsit corpus delicti, & antequam contestis ille indiciis vllis grauatus sit; quod sane per absurdum est: Cum ira etiam innocens possit in inquisitionem trahi, ex sola contestis sui, qui forte inimicus eius est, depositione.

§. LX. Neque præteriri potest interrogatorium *Interrogat.*
 fatis in omnibus iudiciis vsitatum, & quod maximum *X. an testis*
 momentum facere videtur, dum testis examinari so- *sciat qua sit*
 let: *Ob Zeuge wisse was ein Eyd sey / worzu er ihm ver-*
binde / und was die Straffe des Meineydes sey? Quod vti
in *vis iuramen-*
ti?

in nonnullis ordinationibus prouincialibus præscriptum, ita nihil magis necessarium videtur, quam ut probe inquirat iudex, an verum de iuramento eiusque vi & obligatione sensum habeat testis; nam si fateatur testis, se id ignorare, vtique totum testimonium eius erit suspectum.

*Ineptum est,
(1.) quia tantum
vilioribus
proponitur.*

§. LXI. Verum, hic primo ille obseruandus abusus est, quod inferioris tantum conditionis homines, non autem honoratiores, ita examinentur; cum tamen & hi debeant eius rei notitiam habere. Deinde nemo obseruabit, testem vllum dixisse, se hæc ignorare; & tamen frequentia satis sunt periuria. Cum ergo & illi, scire se vim iuramenti, asserant, qui tamen periurium committere non verentur, manifestum est, non solam scientiam in teste sufficere sed plura adhuc desiderari, scilicet veram & illæsam conscientiam, ad quam quid requiratur, ostendit Dn. Præses in *Diff. de delatione iuramenti in matrimonial. §. 4.* Quod ipsum, in honoratioribus haud raro æque deficit quam in vilioribus.

*(2.) Quia in
uerso ordine
adhibetur.*

§. LXII. Sed transeant & hæc, & posito, quod hoc interrogatorium necessarium sit, proceditur tamen ordine inuerso. Ad interrogatoria enim prius examinari non solent testes, quam iuramento iam præfinito. Cur ergo testes admittuntur ad iuramentum, antequam constet an sciant, quid illud sit, & quam vim habeat? Interrogandi itaque super hoc puncto fuissent, antequam iurassent. Quod dum non obseruatur, nemo sanæ mentis est, qui non abusum hunc non leuem intelligat. Si dixeris: illud faciendum, & hoc non omittendum; respondeo, si iam tempore iura-

iuramenti præstiti de hoc constat, frustra utique deinceps iterum desuper examinatur, non enim poterit, intra tantillum temporis spatium hæc oblitus fuisse.

§. LXIII. Recepta hanc in rem est auisatio iuramenti, qua testi explicatur vis iuramenti & seuerissima periurii pœna pro dignitate rei exponitur, isque admonetur, vt veritatem omni modo dicat, nec vel in minima parte periurium committat: Id quod vocatur iuramentum auisatum eiu gelehrter Eyd. Quæ admonitio facienda a iudice ipso, quamuis interdum, pro circumstantia rei, in sententia requiratur vt eadem fiat a ministro Ecclesiæ. Verum notandus hic est insignis abusus, quod iuramenta tam frigide a iudice exigantur, & vt plurimum sine vlla admonitione vitando periurio. Alias satis verbosi sunt nonnulli iudices, sed hic, vbi loqui debebant, communiter tacent, tanquam *καὶ πρόσωπα*, & vel plane omittunt, admonitionem, vel id adeo segniter & negligenter expediunt, vt quasi impossibile videatur hoc modo ad saniores mentem perducere testes. Nonnulli etiam id ægre ferrent, si testis, admonitione præuia motus, defisteret a iurando, quia pro singulis iuramentis sportulas accipiunt.

§. LXIV. Et si tandem ad testes viliores quoque præmittatur admonitio, ea tamen plane omititur, si vel in mediocri dignitate sit constitutus, quasi vero digniores nulla admonitione indigerent, nec idem possent prauis adfectus in iis, quam in hominibus inferioris sortis. Sane non sufficit pro excusatione, digniores iam satis intellecturos, quæ sit vis iuramenti; non enim hic sufficit sola scientia, vt ante dictum,

G

ad

ad excludenda periuria, sed oportet vt conscientiam testis peneret Iudex sua admonitione, vt veram diuini & omniscii numinis reuerentiam in eo excitet, quo sensu timoris Dei commotus, ab omni periurio abstineat iurans. Hæc qui non æque necessaria dixerit in diuite & digniori, quam in paupere & viliori, is profecto non potest non imperitissimus in praxi Christianismi esse. Sed tam peruersa hodie sunt iudicia hominum, vt fere magis esse non possint.

Alius abusus, quod iuratio non iusto ordine & ex amore fiat.

§. LXV. Dum vero dicimus non omittendam esse iuramentum, ex altera parte etiam præcauendum est, ne iuratio iniuste, ex affectibus carnalibus, & per impetum ac tonitrua quasi peragatur; cum ita facile turbetur conscientia iurantis, ac interreatur magis, quam vt in ordinem redigatur. Qui abusus cernitur quandoque in ministris Ecclesiæ, dum illi maledictionem legis potius annunciare solent iurantibus, quam doctrinam euangelicam, quæ multo efficacior est, eos adducere ad veritatem sine furo dicendam. Ceu nuper suo exemplo, in scripto quodam germanico, comprobauit nouus quidam *Diotrephes*, inter Theologos non Theologos sed peruersos, quem tamen aliis castigandum relinquimus.

Interrogator. XI. execrationibus repletum.

§. LXVI. Qua occasione deuoluor ad interrogatorium quod cum diris & execrationibus proponitur, quod quidem vt plurimum inter specialia interrogatoria proponitur, quandoque tamen inter generalia locum occupat, ac his & similibus verbis concipitur: *Ob Zeuge bey seiner Seelen Seeligkeit/ ob so gewiß als das höllische Feuer er vermeyden wolle/ ob dasen ihn der Teuffel nicht holen solte/ es also wahr sagen könne?* Circa

Circa cuius ineptitudinem probandam non erimus *Ineptum est.*
 solliciti, cum istam operam iam occupauit Meuius P. 4.
Dec. 270. vbi sequentes adducit rationes contra hoc
 interrogatorium (1.) quia fini interrogatoriorum non
 est congruum; finis enim est ad explorandam verita-
 tem, non ad personarum attestantium conscientias
 torquendas: (2.) quia sufficit iudicem exegisse iura-
 mentum; in potestate autem partium esse non debet,
 peculiaribus iuramentis testes obstringere: (3.) quia
 testibus esset molestum, & cum quadam ipsorum con-
 tumelia coniunctum, quasi iuramenti præstiti non
 fuissent memores, vt diris ipsos deuouere neces-
 sium fuerit: (4.) quia est superfluum, cum testes iam
 solenni & decenti modo iurauerint: (5.) quia impium
 est, & diuinis præceptis contrarium, cum hæc non
 sinant tales execrationes infligere. Vnde Doctores
 etiam communiter hoc interrogatorium reiciunt,
 ceu & in multis ordinationibus particularibus impro-
 batum est. vid. Martini *ad Proc. Sax. tit. 20. §. 2. n. 113.*
 Brunneman. *in Proc. ciu. c. 23. n. 56. in fin.*

§. LXVII. Vltimo loco adducimus interroga- *Interrogator.*
 torium, quod haud raro etiam formatur, super di- *XII. ineptum*
 cenda veritate: Ob Zeuge auf die vorgelegte Fragen *an testis veri-*
 die rechte Wahrheit sagen wolle? Equidem videtur *tatem dicere*
 hoc interrogatorium admodum vtile, cum tendat *velit.*
 ad excutiendam mentem testis, an etiam animus
 ipsi sit veritatem sincere dicendi. Sed quis non
 videt ineptitudinem? Nemo obseruabit testem dice-
 re, se nolle veritatem fateri, & tamen tories quo-
 ties eadem, non obstante hoc interrogatorio, suppri-
 mitur, & falsum dicitur testimonium. Deinde iam an-
 tea

tea iur. mentum præstitit testis, quod veritatem dicere velit, non potest sane vnico momento hoc iterum esse oblitus. Est ergo frustraneum hoc interrogatorium, & ita ineptum, etiam si in quibusdam ordinacionibus fuerit præscriptum, vti id agnoscit Martini *cit.* l. n. 342.

Conclusio dissertationis.

§. LXVIII. Potuissent adhuc quædam alia interrogatoria quæ inepta sunt, v. g. Ob Zeuge mehrmahlen Zeugniss abgeleget? & non pauca etiam ex speciali- bus adduci & examinari; verum cum ex his, quæ adducta, principiisque allatis, facile reliqua iudicari possint, nec tempus plura permittat, hic colophonem imponimus huic dissertationi, rem æqui lectoris censuræ submittendo, nam iniquorum hominum iudicia susque deque habemus. Deo Optimo Maximo interim gratias decernimus immortales, quod diuina gratia sua nobis præfens esse voluerit, vt hic etiam labor felicissime ad finem potuerit perduci. Faxit diuinum numen, vt iudicia nostra purgentur quotidie magis magisque a suis vitiis, vt, quæ hæctenus v. plurimum speluncæ latronum dicenda fuerunt, tandem veritatis & iustitiæ theatra meliori iure vocentur!

S. D. G.



Halle, Diss, 1702 STRYK II

VD-18

ULB Halle 3
001 957 899



56. → 06







29r.

1702, 41^a 6^{1/2} 47

DISSERTATIO IVRIDICA
De,

INTERROGATO- RIIS INEPTIS,

2

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**

CORONAE BORVSSICAE, ELECTORATVS BRAN-
DENBVRGICI, ET CETERARVM PROVINCI-
ARVM, HEREDE &c. &c.

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO, D.

SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENSIS CONSI-
LIARIO AVLICO, ET PROF. PVBL. ORDIN.

*PATRONO SVO OMNI HONORIS CVLTV
DEVENERANDO,*

d. IX. Decembr. MDCCII.

IN AVDITORIO MAIORI,
publicæ eruditorum disquisitioni subiicit,

C.39

IOANNES PHILIPPVS Schmidt
Norimberg.

HALAE,
Typis IOANNIS GRVNERI, Acad. Typogr.